

Civitates à tremendo Dei iudicio conflogarunt, acerbissimum nobis dolorem incutit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud quantum potest commendandum, studia nostra conferamus.

§. 1. Sanè Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, ut quicumque Clerici, illi incontinentiâ, que contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentia, deprehensi fuerint laborare, à Clero deiciantur, vel ad agendam in Monasteriis penitentiam decurrantur.

§. 2. Verùm ne tanti flagitii contagium impunitatis spe, que maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, Clericos hujus nefarii Crimini reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui anime interitum non horrescunt, hos certè deterreat civilium legum vindex gladius secularis.

§. 3. Itaque quod nos jam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos seculares, & regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis, tam divum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Ecclesiastico presentis Canonis auctoritate privamus. Ita ut per iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in Laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur Sanctionibus constitutum.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1568. tertio Calendas Septemb. Pont. nostri anno 3.

Notat tamen circa hanc Bullam Barbosa in c. Clerici. 4. de Excess. Prelat. ad incurrendas penas præfinitas Degradationis requirit primo, ut Clericus sæpius exercuerit Sodomiam. Secundo ut sit perfecta Sodomia. Tertio ut præcedat sententia condemnatoria, vel saltem declaratoria Criminis. De quibus amplius vide apud Barbofam loc. cit.

Cæterum quantum malitiæ, & turpitudinis sit Sodomia, vide amplius apud Theologos.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

1. Ratio Ordinis.

Post Crimina sexto Præcepto adversa, pergit Compilator Juris Canonici ad Crimina septimo præcepto prohibita, quibus proximus læditur in bonis fortunæ, quod inter alios faciunt Raptores, Incendiarii, violatores Ecclesiarum, Fures, Usurarii &c. de quibus in presenti, & subsequentibus Rubricis agitur. Et quamvis in presenti Rubrica sit etiam sermo de Raptu mulierum, prout est species luxuriæ, nihilominus tamen, quia hic idem Raptus etiam iniustitiam, & injuriam tertii in se continet, de eodem non incongruè cum aliis peccatis septimo Præcepto adversis hic tractatur. Hiæc ponitur

§. I.

De Raptu, ac Rapina, & Raptoribus, tam personarum, quam rerum.

SUMMARIUM.

2 Raptus personæ, prout est species luxuria quid?

- 3 Debet fieri cum violentia: Et num. seq.
- 4 Circa virginem, vel aliam honestam feminam.
- 5 De loco in locum moraliter diversum.
- 6 Libidinis exercende gratia.
- 7 Pene Raptus de Jure Civili.
- 8 Et de Jure Canonico statuitur.
- 9 De Raptu personæ in ordine ad contrahendum Matrimonium, Remissive.
- 10 Rapina rerum quod?
- 11 Debet fieri circa rem alienam,
- 12 Mobilem.
- 13 Fieri potest circa rem etiam minimam.
- 14 Debet autem fieri iniuste,
- 15 Et per vim,
- 16 Cum, vel sine armis.
- 17 Pene Rapina, si contra eam Civiliter agatur.
- 18 In Foro interno Raptor ante sententiam iudicis plus restituit non tenetur, quam quod rapuit.
- 19 Pena Criminalis, si Rapina committatur cum armis,
- 20 Et sine armis.
- 21 Pena Raptorum Jure Canonico statuitur.
- 22 Pena Spoliantium bona naufragantium.
- 23 Latrones, & Gratiatores privantur insuper Asylo.

Queritur I. Quid, & quibus penis sit subiectus Raptus personæ, prout est species luxuriæ, & quid distinctum à Raptu constituit impedimentum Matrimonii? Resp. I. Raptus est violenta abductio virginis, vel alterius honestæ femine solute vel ligatæ libidinis exercende gratiæ de loco in locum moraliter diversum. Ita in re communi arg. l. 1. in c. de Raptu Virg. Explicatur definitio.

Dicitur primò violenta abductio; quia si puella sui juris, seu sub nullius amplius potestate, constituta liberè consentiat, Raptus non est, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 7. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 6. communiter tenent tam Theologi, quam Canonistæ, arg. l. Quò naufragium. 3. §. 5. ibi: Rapi autem sine vi non potest, &c. Cum causa. 6. h. t. ubi Summariis sic habet: Raptus non dicitur, ubi volens abducitur.

Nec obstat, quod dicitur cit. l. 1. in c. de Raptu Virg. 4. Hinc pene subiacet, qui sine volentibus, sine nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum; quia textus hic supponit facinoram abductionis consentientem esse inductam vel minis, vel importunis & dolosis precibus, aut promissionibus vim quandam importantibus l. 1. §. 3. ff. de seruo corrupti. Gutierrez Can. qq. lib. 1. cap. 37. nu. 21. & alii. Quare, nisi puella ipsamet fateatur, se absque dolo, minis, aut importunis precibus liberè consentisse abductioni, onus probandi incumbit Raptoribus, prout cum Malfcardo probat Gonzalez in c. fin. h. t. arg. cit. l. unie. ibi: §. 2. Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimis hominis, qui meditatur Rapinam, inducitur; nisi etiam eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenierit, non faciet eam velle, in tantum dedecus sese prodere.

Dicitur secundo virginis, vel alterius honestæ femine, quia abductio etiam violenta femine minus honestæ vivantis, v. g. meretricis notoriæ, Raptus propriè & strictè loquendo non est, ac propterea nec ordinariæ, sed extraordinariæ duntaxat pœne, arbitrio iudicis infligendæ subiacet. Clarus §. Raptus. n. 5. Farinacius q. 145. an. 135. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 12. n. 23. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 3. cap. 14. n. 2. in fine. arg. l. 1. in c. de Raptu Virg.

Dicitur tertio de loco in locum moraliter diversum; quia si honesta puella vel femina non saltem ab una domo, v. g. paterna ad aliam, sed ab undantaxat cubiculo ad aliud ejuſdem domus, vel à loco

§. I. De Raptu, ac Rapina, & Raptoribus, &c.

loco patenti ad fecerunt, occultandæ libidinis causâ raptor, propriè Raptus non est, sed Strup. un præcise præteritum, si ita abducta violentè opprimitur. Farinacius Prax. Crim. cit. q. 145. n. 74. Sanchez loc. cit. n. 20. Clarus §. Raptus. n. 1. dicens esse omnium, can. Lex illa. 3. cau. 36. q. 1.

Dicitur quarto libidinis exercende gratiâ; Nam si ex alia, & quacunque causa fiat, Raptus propriè loquendo non est, nec ordinariæ pœne illius subiectus, ut cum Claro §. Raptus. n. 1. bene docet Sanchez lib. 7. de Matrim. nu. 17. Decius Consil. 234. n. 8. & alii. Notandum tamen cum Sanchez, & Claro loc. cit. quòd si quis facinoram libidinis causâ rapiat, pœne ordinariæ subiaceat, etſi postea ab extenplenda libidine impediatur.

Resp. II. Pœne Raptus propriè dicti à Jure Civili sunt lequentes, videlicet pœna Mortis, adeo ut Raptor, & omnes ad Raptum opem aliquam ferentes in ipſo Raptu deprehensi, à parente, marito, cognatis aut propinquis Raptæ imponere possint occidit: postea vero legitime convicti ultimo supplicio affici, non obstante quacunque Reorum Appellatione. Uterius omnia bona tam mobilia, quam immobilia Raptoris, & præbentium eidem opem ad Raptum, amittuntur, & Raptæ addicuntur. Ita expressè statutum habetur sepe cit. l. unie. C. de Raptu Virg. ad quam utpote valde longam, brevitate causa Lectorem remittimus.

Resp. III. Raptus propriè dicti, prout est species luxuriæ admixtam iniustitiam habens, pœne Jure Canonico statute sunt, quòd si Laicus sit Raptor, excommunicatur; si verò Clericus à gradu, & ordine Clericali deiciatur. can. 1. & seq. cau. 36. q. 1. & c. Si quis. 4. de Purgat. Canon.

Referunt huc aliqui etiam pœnas à Concilio Tridentino Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6. itartas contra Raptores. Verùm hæc pœne non contra hunc solius libidinis causâ, sed etiam Raptum videntur statute, sed contra illum, qui sine fine & intentione Raptum decendi in Matrimonium, ut cum aliis probabilibus docet Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 13. n. 3. Layman, Gutierrez, & alii; quod idem etiam nos docimus Lib. IV. Tit. I. §. X. n. 377. in quo §. etiam reſertur de Raptu ad contrahendum Matrimonium factò tradidimus, ubi proin vide.

Queritur II. Quid sit? & quibus penis subiacent Rapina, & Raptor rerum? Resp. I. Quamvis Rapina large loquendo sumatur pro omni illicitâ usurpatione rei aliene sive occultè, sive manifestè facti, arg. can. Si quis. 10. cau. 14. q. 4. ibi: Si quis usuram accepit. Raptum fecit. & can. Si quis. 6. ead. cau. q. 5. ibi: Si quid inventiſſi, & non reddidisti, rapuisti. Propriè tamen loquendo, Rapina est rei aliene mobilis iniusta ablatio, per vim facta. Ita in re communi, & patebit declarando Definitionis verba.

Dicitur primò Rei aliene; quia qui rem suam propriam, vel quam saltem putat esse suam, ab alio possessam auferit, Rapinam propriè non committit, nec penas illius incurrit, sed illas, quæ l. Si quis 7. C. Unde vi. decretæ sunt in illos, qui propriâ auctoritate violentè auferunt res ab alio possessas.

Dicitur secundo mobilis; quia res immobiles non auferri vel rapi, sed invadi dicitur §. 1. in fine Instit. de vi bonorum raptorum. Hinc invasionem patiens in bonis immobilibus non habet actionem vi bonorum Raptorum positam cit. §. 1. Instit. de vi bonorum Raptor. Sed incurritur illi per Interdictum unde vi. l. 1. ff. de Vi. & vi armata; vel per publicum iudicium legis Julæ, l. in eadem causa. 3. ff. ad Leg. Jul. de vi publica.

Ceterum Rapina circa rem mobilem committi

potest in quavis re cuſcunque etiam minimi pretus cum delicta non æstimantur ex objecto, & parvitate materic, sed pravitate affectus, & celeritate animo: prin. Instit. de vi bonorum raptorum. ibi: Etiamſi quis unam rem licet minimam rapuerit.

Dicitur tertio iniusta (alii ponunt dolosa) ablatio; quia qui rem alienam iuste & legitime violentè auferit, uti hostis in bello iusto, Officialis, vel alius auctoritate Magistratus, constitutus in extrema necessitate Civium Rapinæ utique non contrahit. Molina de I. & l. Tr. 2. disp. 683. n. 7. & alii commanitet per vulgaria.

Dicitur quarto per vim facta; quia si vis non adhibetur, sed res clam, & dolose auferitur, non Rapina, sed Furtum est. Nam per vim Rapina, dillinguitur a Furtio, prin. Instit. de vi bonorum raptor. Ob quam iniustam vim, seu violentiam Rapina etiam gravius peccatum est, quàm simplex Furtum, can. Penale. 13. cau. 14. q. 5. ibi: Penale est, occultum occultè auferre, nullò majoris pena est, visibiler eripere. Unde etiam Furtum improbius vocatur, l. Prator ait. 2. §. 10. ff. De prin. Instit. de vi bonorum raptor. eò quòd per Rapinam duplex iniustitia inferatur proximo, una in rebus, altera in persona & honore, dum rem eidem extorquendo violentia adhibetur.

Cæterum non refert, an vis armis, vel sine armis inferatur l. Prator ait. 2. §. 1. ff. ead. Imò etſi nulla vis actò inferatur, dammodo Raptore rem mobilem palam auferant, pariti vim infero, si eis restituerit, Rapina est l. 1. §. 9. ff. ead. Farinac. Prax. Crim. q. 166. n. 31. Circa p. 2. Prax. Crim. q. 9. n. 68.

Resp. II. Pœne de Jure Civili contra Rapinam, & Raptores statute, si agatur Civiliter intra annum, est restitutio in quadruplum; ita ut præter rem ablatam eandem in triplo adhuc pretii, vel estimationis compensare post annum verò, non nisi ipsam rem Rapinè ablatam, vel ætimationem illius unà cum restititione lucri cessantis, & damni emergentis restitueri debeat, prin. Instit. de vi bonorum raptor. ibi: Iſt intra annum quadrupli, post annum simpliciter, concordat l. 1. ff. l. 2. §. 13. ff. ead. ac l. 2. datur etiam actio contra raptorem facti.

In Foro conscientie tamen Raptor ante sententiam Julicis plus, quàm rapuit, restitueri non tenetur, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 4. in corpore. habet communis Theologorum, post sententiam tamen tenetur eidem acquiescere.

Resp. III. Si agatur Criminaliter contra Raptorem rerum, dillinguendum est, an cum vel sine armis Rapinam commiserit; si cum armis rapuit, pœnam Capitalem incurrit l. penult. ad Leg. Jul. de vi publ. & Ordinat. Caroli V. art. 126. que pœna vel maxime procedit in Grassatoribus, & Spoliatoribus itinerantium, qui, si pœnæ Rapinam etiam vulnerant, torquent, vel occidunt, Rote supplicio; si simpliciter rapiunt, solo capite plectuntur, uti habet citata Constitutio Carolina art. 126. 130. & 137.

Si verò sine armis Rapina committitur, pœna illius est amissa tertie partis bonorum, dignitatis item & honoris, unà cum infamia, s. Item Lex Julia. 8. Instit. de publ. Julic. l. 1. prin. ff. de vi publica. sancta l. 2. C. eod. Ordinatio tamen Carolina Raptores indistinctè gladii, vel alia mortis pœnâ juxta loci consuetudinem alſi iubeat art. 126.

Resp. IV. De Jure Canonico pœna Raptorum est Excommunicatione inferenda ab Episcopo loci, ubi Rapina committitur, etſi Raptor sit aliterus Diocesis, à qui absolvi etiam à proprio Episcopo non potest, nec recipi ab eo, sed ad Episcopo excommunicationem remitti debet, nisi plenè satisfecerit, c. 1. h. t. Quod si Raptor in ipsa Rapina moriatur, vel faciatore nolens decedat,

tanquam in peccato mortali defunctus caret sepultura Ecclesiastica, c. Super eo. 2. b. t. & c. Eures. 2. de Furt.

23 Illi vero, qui spoliant naufragos Catholicos in mari, ipso facto incurrunt Excommunicationem Bulla Cane, casu 4. Pariter Excommunicationem Bulla Cane ipso facto incurrunt Latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Romane Ecclesie pertinens, casu 3. Illi insuper, qui Christianos naufragum patientes (quibus secundum regulam Eiusdem auxilio esse tenentur) damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, Excommunicationis se noverint subiacere, uti statuitur in Concilio Lateran. relato c. Excommunicationi. 2. b. t. qua tamen Excommunicatione non teneri eos, qui bona naufragantium Hereticorum, Judaeorum, Saracenorum, aut aliorum Infidelium spoliant; nam licet & hi male agant ita spoliando, & ad restitutionem teneantur, tamen verisimile non est concilium per poenam Excommunicationis specialiter protegere voluisse bona hostium Ecclesie. Castro Palao Tract. 29. disp. 3. p. 5. n. 8. Bonacina de Censuris. disp. 1. q. 5. par. 3.

24 Porro Latrones publici, & viarum Grassatores, praeter jam allegatas Canonicas poenas, etiam illam incurrunt, quod priventur Jure Asylae, aded ut fugientes ad loca sacra etiam vi extrahi inde possint. De quibus amplius vide Lib. III. §. IV. a numer. 90.

§. II.

De Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

S U M M A R I U M.

- 25 Incendiarius proprie loquendo quis?
- 26 Talis non est, ex cujus negligentia, vel imprudentia, & non data opera incendium oritur.
- 27 Pena Incendiarii proprie talis.
- 28 Pena illius, qui sine dolo ex negligentia, vel imprudentia aliqua lata, levi, seu levissima culpa incendium causavit.
- 29 Nulla culpa equiparatur dolo. Ibid.
- 30 Ubi pena in Jure non determinatur, arbitrio Judicis imponitur.
- 31 Qui sua negligentia, vel incuria incendium causavit, in Foro interno ad nihil tenetur, nisi culpa gravis Theologica intervenerit.
- 32 Incendium meri fortuito sine alicujus culpa factum, nullam poenam inducit.
- 33 Pena Incendiarii de Jure Canonico: Es numer. seq.
- 34 Illius qui loca sacra incendit.
- 35 Quis absolutus Incendiarius ab Excommunicatione?
- 36 Dolus nunquam praesumitur.
- 37 Si nescitur, unde incendium sit exortum, praesumitur culpa inhabitantium esse exortum. Incendia ordinariae culpa inhabitantium oriuntur. Ibid.
- 38 Ex qua tamen praesumptione nullus, nec Paterfamilias puniri potest, nisi de aliquo in specie culpa praesumatur.
- 39 Solvitur Obiectio.
- 40 An, & quando Paterfamilias teneatur ad damna, culpa domesticorum causata? Ibid. Et numer. seq.
- 41 Culpa, ex qua incendium fuit exortum, per conjecturas & praesumptiones sufficienter probatur.
- 42 Ecclesiarum Violatores qui? Sane ipso Jure excommunicati; nec absolvi possunt, donec satisfaciant, aut cautionem praestent.

43 Ecclesia Violator non est, sed tantum Invasor, aut fur sacrilegus, indeque non ipso Jure excommunicatus, sed excommunicandus; qui ad Ecclesia auferre dantaxat, sed eam non effringit, vel econtra.

44 Pena Violatorum Ecclesie de Jure Civili.

45 Pena contra hos, & Sacrilegos fures juxta novam Ordinationem Carolinam.

Quaeritur I. Quid sit Incendiarius? & quibus poenis subiacet? Resp. I. Incendiarius proprie, & ad propositum loquendo, Getmanice Brenner, item Mordebrenner est, qui dolo malo, ex odio, vel vindicta, vel alicujus commodi aut lucri consequendi gratia, Civitatem, oppidum, pagum, praedium, aedes, vel alia bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, feni, lignorum, sylvam &c. supposito igne incendit, vel ad hoc scienter praestant consilium, aut auxilium. Ita in re Communis. arg. cau. Pessimam. 32. cau. 23. q. 8. & l. Qui aedes. 9. ff. de Incendio, & ruina. ibi: Appellatione aedium omnes species aedificiorum continentur. Cum Concordantiis.

Dicitur notanter, qui dolo malo, data opera &c. 27 quia, si incendium non ex dolo malo, & data opera, sed casu tantum, vel ex negligentia, & imprudentia, etsi cum culpa aliqua etiam lata, vel levi, vel levissima contingit, Incendiarius proprie talis non est, nec poenae ordinariae illius subest, qui sua culpa est causa talis incendii, uti dicitur infra n. 28. Multo minus Incendiarius dici potest, qui auctoritate legitima, vel ex mandato illius, qui potestatem habet, incendit eas &c.

Resp. II. Quoad poenam Incendiarii dolo malo, 27 data opera incendium causantis de Jure Civili ita statutum habetur, l. qui aedes. 9. ff. de Incendio, & Ruina. ibi: Qui aedes, acervumve frumenti iuxta domum postum combusserit, vincetus, verberatus igne necari juberetur, & l. fin. ff. de Incendio, & Ruina ita statutum habetur: Qui data opera in Civitate incendium fecerint, si humiliori loco sint, bestias obici solent; si aliquo gradu id fecerint, Capite puniuntur, aut certe in Insulam deportantur: ubi Glossa fin. addit, ut igne crementur. Item l. Capitalium. 28. §. 12. ff. de Panis, ita statuitur: Incendiarii Capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel praeda causa incendunt quid intra Oppidum, & plerumque vicis exarantur: qui vero casam aut villam, aliquo levius, Jam vero per Constitutionem Caroli V. art. 125. Incendiarii dolosi omnes indistincte vivi condecernendi veniunt.

Resp. III. Qui incendium sine dolo, ex sola negligentia, vel imprudentia cum culpa tamen sine lata, sive levi, sive levissima causaverint, ad poenam ordinariam nullo Jure tenentur, bene vero de Jure Civili ad reparationem damnorum inde secutorum, & aliam ordinariam mitiorem poenam arbitrio Judicis imponendam, arg. l. qui aedes. 9. ff. de Incendio, & Ruina. l. Capitalium. 28. §. 12. de Panis. Ratio autem, cur etiam ex causa lata non teneatur ad poenam ordinariam, est, quia haec non nisi ob incendium ex dolo malo commissum incurritur, per Jura citata. Dolo autem nulla culpa equiparatur, l. in lege Cornel. 7. juncta Glossa p. Culpa lata. ff. ad Leg. Corneliam de Sicar. Clarus §. fin. quest. 84. numer. 1. citans Communem, Jalon in l. in actionibus. ff. de in litem Jur. numer. 23. & 26.

Et quoniam praeter restitutionem damnorum poena specificae non determinatur in Jure contra eum, qui sua culpa sine dolo causat incendium, & arbitrio Judicis pro varietate culparum, incendii, &

personarum, semper tamen citra mortem, vel mutilationem imponi consuevit, vel per multam pecuniariam, vel per carceres, relegationem, fustigationem &c. Farinacius in Prax. Crim. q. 110. n. 10. arg. l. 1. §. 1. ff. de Effractor. ibi: Quibus nulla specialis poena rescriptis principalibus imposita est, idcirco causa cognita liberum est arbitrium statuendi, qui cognoscit.

30 Porro, quae in praecedentibus duobus numeris dicta sunt, pro Foro externo intelligenda veniunt; quia in Foro interno ante sententiam Judicis ad nullam restitutionem damnorum tenetur, ex cujus negligentia, injuria, imprudentia, vel alia culpa levi incendium ortum, vel cautum est, nisi culpa lata Theologica graviter peccaminosa intervenerit; cum levis, vel levissima causa ad reparationem damni in Foro non obliget, per dicenda infra Tit. XXXVI. de Injuriis, & damno dato.

31 Resp. IV. Quoad incendium casu fortuito sine illius culpa contingit, quibus sicut a culpa, sic etiam ab omni poena, & onere restitutionis in omni Foro immunis est. Omnes, l. Si fortuito. 11. ff. de Incendio, & Ruina. l. Si quis. 9. §. 3. ff. Locati. ibi: Si quidem fortuitus casus causam incendii dederit, non praestabit periculum locator, & l. Ex conducto. 15. §. 2. & 3. ff. eod.

32 Resp. V. De Jure Canonico Laici Incendiarii rerum profanarum, sicut & Incendiarii praebentes Consilium, & auxilium praeter poenitentiam tribus annis peragendam, c. si qui domum. 6. de Injur. & damni. sunt excommunicandi, nec absolvi possunt, donec damna causata refarciant, & si poenitentia decedunt, carent sacra sepultura, can. Si quis. 31. & can. Pessimam. 32. cau. 23. q. 8. ibi: Si quis &c. Sive pro odio, sive pro vindicta ignem tribuerit vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter apposuerit, excommunicatur: Et si mortuus fuerit Incendiarius, Christianorum careat sepultura: nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam, reparato.

33 Si vero ante mortem poenitens a Censura fuerit absolutus, in loco facerit potest, ita tamen, ut haeredes illius ad reparationem damnorum ex incendio secutorum teneantur, & compellantur, si ab Incendiario prius facta non est, textu expresso, c. In literis. 5. h. t.

34 Dicitur notanter in Conclusionem nu. 37. postea, rerum profanarum; quia si Laici Coemeteria, Ecclesias, vel alia loca sacra, vel his ad triginta passus contigua loca, juxta can. Definivit. 35. cau. 17. q. 4. dolo malo incendunt, ipso facto sunt excommunicati, arg. can. Si quis. 31. cau. 33. quest. 8. can. Canonica. 107. cau. 11. quest. 3. can. Omnes Ecclesie. 5. cau. 17. q. 4.

35 Porro licet Incendiarius ab Excommunicatione ab homine, vel a Jure lata absolvi possint per Episcopum, ut bene observat Hostiensis in Summa h. t. n. 9. Sylvest. 3. Incendiarius. q. 1. n. 2. tamen postquam per Ecclesiam publice denuntiatur, soli Summo Pontifici reservata manet absolutio, textu expresso c. Tu nos. 19. de Sentent. Excommuni. ibi: Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiam sententiam publicam, pro absolutiois Beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.

36 Quaeritur II. Quid Jure de Incendio alicubi ita exorto, ut de auctoritate, & causa illius non constat, an nempe alicujus? & cujus culpa vel dolo praesumatur factum? & an aliquis praesertim paterfamilias vel alii inhabitantes teneantur ad reparationem damni, aliquibus v. g. vicinis inde secuti? Ante responsum nota, certum esse, non praesumi dolo alicujus certi factum tale incendium, quia dolo nunquam praesumitur l. Merito. §. 1. ff. Pro socio, sed clausula Responstus Jus Can. Tom. V,

ris indicis probari debet, l. Dolus. 6. C. de Dolo malo; ibi: Dolus ex indicis perspicuis probari convenit. H. N.

Resp. I. Quamvis Incendium hujusmodi ordinariè loquendo culpa inhabitantium potius, quam fortuito contingit praesumatur, tamen paterfamilias, vel alii inhabitantes, ad damna inde secuta refarcienda etiam in Foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie, & determinatè rationabiliter praesumatur. Prima pars Conclusionis caret controversia. Ratio est; quia in dubio id praesumitur, quod plerumque fit, aedum autem Incendia in quaesito postea, plerumque aliqua saltem, si non lata, saltem levi, vel levissima culpa & negligentia inhabitantium oritur, l. Nam saltem. 3. §. 1. ff. de Offic. Praefecti Vigil. ibi: Plerumque incendia culpa sunt inhabitantium, & l. Vendita. 11. ff. de periculo, & commodo rei vendit. ibi: Cum incendium sine culpa fieri non possit: intellige ordinariè.

Secunda pars docetur à Farinacio in Prax. Crim. 38 q. 110. n. 93. citans plures alios in specie, & Communem aliorum. Ratio est; quia etsi Incendium praesumatur culpa inhabitantium, & quidem omnium, quando de uno certo nil constat, ut cum aliis bene observat Farinacius loc. cit. n. 46. tamen haec praesumptio non sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum, v. g. Patrem familias, sed omnes absolvi debent, si post inquisitionem, quae utique fieri debet, contra aliquem in specie culpa praesumi non potest. Farinacius loc. cit. numer. 93. q. 6. & 98. Alexander Consil. 50. n. 9. Gailus Pract. Observat. lib. 2. Observat. 21. n. 3. Ratio est: Tam quia Incendium non probatà culpa certi hominis inter casus fortuitos numeratur. Gailus loc. cit. arg. l. Incendium. C. Si certum petatur. Tam quia probatio debet esse certa, alias nil valet, c. in praesentia. de Probatione.

Dices: Paterfamilias tenetur ad refarciendam damnam culpa domesticorum causatum; ergo cum juxta dicta Incendium ordinariè praesumatur culpa inhabitantium factam, ad damna inde secuta tenebitur Dominus, nisi culpam suam, & domesticorum abuisse probet; uti argumentatur Fachin. Controvers. lib. 1. cap. 87. Haudoldus, & alii. Sed respondetur distinguendo: Paterfamilias tenetur ad damnam causatum culpa domesticorum, si de culpa alicujus, vel plurium in specie constat; transeat antecedens; si de nullius certi culpa constat, negatur per Jura, & rationes numer. praeced. allegatas.

Ino etiam casu, quo constat de culpa certi ferivi, non tenebitur ad damna Incendii paterfamilias, si talis servus aliàs pro fideli, & diligenti habitus, & inventus est, uti cum Mascardo Concl. 894. n. 19. & aliis bene observat Farinacius cit. q. 110. n. 115. Qui ibidem etiam nu. 111. Univerfaliter docet, quod regulariter loquendo, Dominus, seu Paterfamilias non tenetur pro Incendio culpa famulorum exorto, arg. cit. l. Si vendita. 11. ff. de periculo, & commodo.

Dicitur tamen notanter in Conclusionem, nisi culpa alicujus in specie rationabiliter praesumatur; quia ad probandam culpam, ex qua Incendium oritur, sufficienter praesumptiones, & conjecturae. Farinacius cit. q. 110. n. 94. Gabriel Consil. 159. nu. 7. & seqq. quae proin si sufficienti praesumptione, vel conjectura contra certum, sive servum probata habeatur, ad condemnandum sufficit. Cujusmodi praesumptiones, & conjecturae de culpa aliquorum, sicut & totam hanc materiam late discussam vide apud Farinacium cit. q. 110.

Quaeritur III. Quid ad propositum sint? & quibus

bus penis subiaceant *Violatores Ecclesiarum*? Resp. *Violatores Ecclesiarum* proprie, & strictè loquendo sunt, qui Ecclesias, aliave loca sacra, aut Religiosa violenter effringunt, & spoliant. Et hi de Jure Canonico incurrunt penam Excommunicationis, etiam ipso facto, can. Canonica 107. cau. 11. quæst. 3. ibi: *Ecclesiarum violatores auctoritate DEI, & iudicio S. Spiritus à gremio Matris Ecclesie, & consorcio totius Christianitatis eliminamus, quoad usque respiciamus, & Ecclesie DEI satisfaciant. can. Omnes. 5. cau. 17. quæst. 4. & c. Conquesti. 22. de Sentent. Excommun. junctâ Glossâ ibid. Excommunicatos, ibique DD. communiter. A qua Excommunicatione absolvi non possunt, nec ad remedium poenitentiae admittuntur, si, dum possunt, satisfacere, vel sufficientem cautionem præstare nolant: si verò poenitentem volunt, dum non amplius possunt, absolutio eis quidem datur, sepulturae tamen eorum Clerici interesse prohibentur, textu expresso c. super eo. 2. h. t.*

43. Requiritur autem ad *Violatorem Ecclesie*, ut fiat effractio violenta, & spoliatio simul, adeò ut si quis solum violenter effringat locum sacrum, ex illo autem nil auferat, vel spoliat quidem, vel furetur quid ab Ecclesia, illam tamen non effringat, proprie *Violator Ecclesie* non fit, sed invasor potius illius, aut fur Sacrilegus, adeoque Excommunicationem ipso facto non incurrit, sed primò excommunicari debeat, ut observat Glossa communiter recepta in cit. c. Conquesti. 22. de Sentent. Excommun. v. Excommunicatos, arg. c. Conquestus. 16. de Foro competent. Ubi hujusmodi Sacrilegii rerum sacrarum Invasores usque ad satisfactionem congruam anathemati supponi jubentur, utpote saltem veri Sacrilegi invasores, aut fures rerum sacrarum, vel ad loca sacra pertinentiam, de quibus Sacrilegis, & penis eorum Tit. seq. §. II. à nu. 55.

44. Resp. II. De Jure Civili *Violatores Ecclesiarum*, utpote gravissimi Sacrilegi, pro diversitate delicti, & delinquentium, aliarumque circumstantiarum vel ad bestias, vel in perpetuum exilium, vel ad Metalla damnabantur, vel Capite plecebantur, vel suspendebantur, vel vivi concremabantur, textu expresso l. Sacrilegii. 6. ff. ad Leg. Jul. peculat. ibi: *Sacrilegii penam dabit Proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, severius vel clementius statuere: & scio multos ad bestias damnasse Sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios verò in furca suspendisse. Concordant l. Sacrilegii. 9. Hac lege. 10. ff. eod. & l. Si quis. 10. Authen. de Episcop. & Cleric.*

45. Hodierno autem Jure per *Ordinationem Carolinam* penæ sunt determinate, ita, ut qui auferat vas, in quo Sanctissimum asservatur, vivus comburatur art. 172. qui verò aliud vas aureum, vel argenteum, cum vel sine reliquijs, vel calicem, vel patenam abstulerit: vel qui Sacrificium, templum, aut gazophylacium, seu cipum, vel capsam elemosynariam animo furandi effregerit, aut dolosis instrumentis aperuerit, penâ corporali, vel capitali, exasperato, vel mitigato pro diversitate circumstantiarum supplicio afficiatur. art. 172. & 173.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

1 Ratio Ordinis.

Quamvis, ut supra jam diximus, septimo præcepto, quo prohibetur *Furtum*, prohibeantur omnia, per quæ in bonis fortunæ proximus injustè læditur, in quo sensu etiam *Rapina* comprehenditur, tamen præfens Rubrica specialiter agit de *Furto*, tanquam Crimine à *Rapina*, ab alijs distincto. Hinc ponitur

§. I.

De Natura, & varijs modis Furti.

SUMMARIUM.

1. *Furtum proprie tale definitur.*
2. *Debet esse actualis acceptio rei alienæ.*
3. *Et quidem fraudulenta, seu animo furandi.*
4. *Ac lucri faciendi causâ.*
5. *Rei alienæ: Nam rei propriæ Furtum non datur.*
6. *Nec rei, quæ habetur pro derelicta.*
7. *Quæ pro derelicta habentur, sunt primò occupantis. Ibid.*
8. *Nec datur Furtum rei incorporalis.*
9. *Nec immobilis.*
10. *Bene verò datur Furtum ususfructus, & possessionis, uti in Commodato, Deposito, & Placuit.*
11. *Furti etiam rei sunt, qui ad illud consulunt, juvant.*
12. *Item, qui rem furtivam scienter emunt, vel alijs recipiunt.*
13. *Qui Furem scit, & non indicat, Furti reus non est, bene verò qui illum positivè occultat.*
14. *Si res furtiva aliunde recuperari potest, nullus privatus Furem indicare tenetur, nisi legitimè interrogetur, aut subeatur.*
15. *Esti Filius Familias rem fraudulenter à Patre auferens.*
16. *Et uxor à marito, verum furtum committant, tamen nec hæc, nec ille actione furti tenentur.*
17. *Bene verò illi, qui ope, aut consilio Furtum illorum secundarunt.*
18. *Qui rem alicubi inventam accipit animo retinendi Fur est: non item, si accipit, ut Domino cognitio restituat.*
19. *Tenetur tamen de Domino debite indagare, alijs Furti reus est.*
20. *Si post diligentem indagacionem non appareat spes comparituri domino, potest quis rem inventam pro libitu distrabere; & non tenetur eam erogare ad causas pias: Et num. seq.*
21. *Res, quæ pro derelicta habentur, sunt primò occupantis.*
22. *Solvitur objectio contra Inventorem, res inventas retinens.*
23. *Quanto tempore Inventor expectare debeat, num Dominus compareat?*
24. *Licitum est in extrema necessitate surripere alienum; si Dominus non sit in pari necessitate: Et num. seq.*
25. *Necessitas extrema facit rem alienam communem. Ibid.*
26. *In quavis necessitate alienum accipere non licet absque peccato Furti.*
27. *Creditor rem sibi creditam à Debitore clam auferre in Foro externo prohibetur.*
28. *Non item in Foro interno, saltem casu, quo aliâ viâ sine magno incommodo rem suam acquirere nequit.*

Quæritur I. Quid sit? quo modo? & à quibus fiat *Furtum*? Resp. I. *Furtum à furto*, id est, nigro dictum, eò quòd clam, & in obscuro fit, & ple-

plerumque nocte, à serendo, vel auferendo, ut dicitur l. 1. prin. ff. h. t. proprie loquendo, est contractatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve. Ita in terminis l. 1. §. fin. ff. h. t. vel ut communiter Theologi definiunt: *Est occultata acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.*

3. Explicatur Definitio per Legem data. Dicitur imprimis *Contractatio*, seu acceptio, quæ res de loco ad locum actu movetur. l. Possideri. 3. §. ff. De acquirend. possession. quia in Foro externo solo animo, seu desiderio, vel etiam externo furandi conatu *Furtum* non committitur, nisi actu contractetur, & de loco in locum transferatur. Hinc qui *Furti faciendi causâ* conclave intravit, nondum *Fur est* l. 1. §. 7. ff. h. t. Additur autem notanter in Foro externo: Nam in Foro interno coram Domino Deo *Furti* jam reus est, qui furari solum intendit, etsi actu non fuerit, Exodi cap. 20. v. 17. & can. Si propterea. 29. dist. 1. de Penit. ibi: *Inus fecisti, in corde fecisti, furti tenentis, nihil tulisti.*

4. Dicitur secundò, *fraudulosa*, id est, injustè cum fraude & dolo, voluntate, & effectu furandi facta; quia *furtum sine effectu furandi non committitur*, §. Placuit. 7. Insti. de Obligat. quæ ex delicto. Hinc qui rem alienam bonâ fide accipit, rationabiliter existimans, Dominum consensurum, vel si sciret, non fore invitum, in nullo Foro reus est *Furti*, l. Inter omnes. 46. §. 7. ff. h. t. ibi: *Reclè dictum est, qui putavit, se Dominum voluntate rem attingere, non esse Furem & l. Qui re. 76. ff. eod. ibi: Qui existimavit se non invito Domino id facere, furti non tenetur. In dubio autem, an Dominus sit invitus, nec ne, eum dissentire præsumitur, præsertim si res contractatur infueto modo, arg. l. Qui vas. 48. §. 3. ff. h. t.*

5. Dicitur terciò *lucri faciendi causâ*, quia qui rem auferit injuriæ causâ, vel eam destruit, in ignem, vel flumen projicit, non *Furti*, sed injuriæ, ac damni dati reus est, & conveniri potest, l. qui injuria. 53. princ. ubi ratio additur: *Nam maleficia voluntas, & propositum distinguit: quæ voluntas, cum in tali calu non sit lucri causâ ad Furtum requisita, Furtum non est.*

6. Dicitur quartò *rei ipsius*, alienæ videlicet, & quidem corporalis. ac mobilis quia cum rei propriæ quisque moderator, & arbiter sit, l. In re mandata c. Mandati, & eâ uti vel abuti possit. l. Sed est. 25. §. 1. ff. De petiti. heret. rei propriæ *Furtum* non datur. Hinc etiam à *Furto* immunis erit, qui auferat rem alienam, bonâ fide putans esse suam, arg. §. 1. Insti. de vi bonor. rapt. præsertim, cum in tali contractatione etiam desit fraus & dolus, seu furandi animus, sine quo non datur *Furtum*, cit. §. Placuit. 7. Insti. de oblig. ex delicto.

7. Sic etiam ex defectu rei alienæ *Furtum* non committit, qui accipit rem, quæ nullus est Domini, vel à Domino pro derelicta habetur, textu expresso, l. Falsus. 43. §. 5. h. t. Siquidem hujusmodi res sunt primò occupantis, l. Pro derelicta. 2. & l. Si id. 5. ff. De Pro derelicto.

8. Pariter *Furtum* non est contractatio rei incorporalis, quia cum res incorporalis contractari & tangi non possit, §. Incorporales 2. Insti. de Rebus corporal. & incorporal. *Furtum* propriè dictum respectu illius non datur. Sylvester v. *Furtum*. n. 1.

9. Insuper *Furtum* in re immobili non datur, l. Verum. 25. ff. h. t. §. Quod autem. Insti. de usucap. & l. quam rem. 38. ff. eod. quia propriè occultari, & de loco in locum moveri non possunt, l. Possideri. 3. §. 18. ff. De acquirend. possess.

10. Dicitur quintò, *vel etiam usus ejus, possessionisve*, quia verum *Furtum* committit, non tantum, qui rem alienam fraudulenter auferit, sed etiam qui usum, vel

ususfructum, possessionem alicui de Jure competentem iniquè auferit, vel habentem illo privat. Hinc *Furti* reus est Dominus, qui rem alicui, pignori datam, iniquè auferit, §. Unde 14. Insti. de obligat. ex delicto, & l. Itaque. 12. §. 2. ff. h. t. Item qui rem alicui accommodatam, locatam, depositam clam fraudulenter auferit, *Fur est* §. 15. & seqq. Insti. de Obligat. ex delicto. l. Cujus interest. 10. l. Tumis. 11. l. Itaque. 12. l. Inter omnes. 46. §. 1. ff. h. t. Prout etiam *Furtum* committit Commodatarius, usufructuarius &c. qui rem commodatâ, vel ad ususfructum concessâ; diutius, vel aliter, quàm Dominus concessit, fraudulenter auferit: item qui rem in depositum, aut pignus datam, eâ taliter auferit, §. 6. Insti. de obligat. ex delicto. l. Qui jumenta. 40. l. Si pignora. 54. princ. ff. h. t.

Resp. II. *Furtum* verò committitur, & actione *Furti* conveniri possunt, non solum illi, qui per se ipsos rem alienam fraudulenter auferunt, sed etiam qui id mandant, item qui consilium, aut auxilium ad id præstant. *Parinacius Præf. Crimin. q. 168. n. 32. & seqq. Tufchus v. Furtum. Concl. 562. n. 1. & 2. Cum Communi & certa aliorum, §. Interdum. 11. Insti. de Obligat. ex delicto*, ibi: *Interdum quoque furti tenentur, qui ipse furtum non fecit, qualis est is, cujus ope, & consilio furtum factum est, junctâ l. In furtis. 50. ff. h. t. Ratio est; quia hi saltem moraliter contractant rem alienam fraudulenter. Ex qua ratione etiam *Furti* reus est, qui *Furem* cum re furtivâ scienter recipit, & occultat Doctores citati per *Jura allegata*, junctâ l. Qui vas. 48. §. 1. ff. h. t. ibi: *Furem qui celat, furti tenetur.**

Resp. III. *Furtum* in super committere censetur, 12. qui rem furtivam scienter à Fure emit; ut & ille, qui rem furtivam in solutum, vel alijs scienter recipit. *Harprecht in §. fin. Insti. de Obligat. ex delicto. n. 14. Haunoldus de Jure & just. Tom. 6. tr. 2. n. 254. insinuat. arg. §. 4. in fin. Insti. de Obligat. ex delicto. l. In civilem. 2. & l. Civile. 5. C. h. t. junctò c. Qui cum fure. 4. h. t. & ibi Glossa. Notant tamen Doctores citati, & Carpz. in *Præf. Crimin. q. 87. n. 51.* Quantum ad receptores rerum furtivarum mitius agi, quàm cum illis, qui ipsi rem alienam auferunt, nisi & illi auxilium, vel consilium præstiterint.*

Resp. IV. Quamvis nonnulli absolutè asserant, 13. etiam illum *Furti* teneri, qui *furem*, aut rem furtivam scit, & non indicat, arg. c. Qui cum q. h. t. ibi: *Non sur solum, sed ille reus tenetur, qui furti consensit, querente possessore non indicat.* Tamen hoc dictum cum distinctione accipiendum est, videlicet, quòd qui sciunt *furem*, & occultant, rei sint *Furti* per dicta supra nu. 11. Ille verò qui simpliciter scit *furem*, eum tamen non celat, non indicat; reus *Furti* non fit, textu expresso, l. qui vas. 48. §. 1. ff. h. t. ibi: *Qui furem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est; cum multum interfit, si veni quis celat, an non indicet: qui novit *Furti* non tenetur, qui celat, hoc ipso tenetur.*

Nec in contrarium militat cit. c. Qui cum. q. h. t. 14. quia textus illius vel loquitur de non indicante, & simul particeps rei furtivæ; ut vult Abbas ibid. nu. 3. qui utique *Furti* reus est per dicta supra; vel loquitur de non indicante ipsam rem furtivam; hanc enim, qui questus non indicat, *Furti* concepti, aut non exhibitus reus censetur, §. Conceptum. 4. Insti. de Obligat. ex delicto. Minimè verò ille, qui ipsam personam *Furti* non indicat; utpote quam potius occultare, quàm manifestare regulariter convenit, si absque manifestatione res furtiva recuperari potest, arg. can. Ne quis. can. 22. q. 2. Nisi forsitan urgeret præceptum Superioris, v. g. Episcopi manifestationem *Furti* præcipiens, aut legitime interrogantis; tunc enim utilitas & auctoritas publica exigens, ne delictum maneat impun-

rum, prevalere debet, uti bene observat Gonzalez in cit. c. 4. h. t. n. 5. & 6.

15 Resp. VI. Filius familias quoque a patre, & servus a domino fraudulose quid auferens, verè ac proprium furtum quidem committunt, tamen quia pater filium, & servus dominum propria autoritate corrumpere potest, actio furti contra eos non datur, §. Hi qui. 12. Instit. de Obligat. ex delicto. l. Ne cum. 16. & l. Servi, & filii. 17. princ. ff. h. t. ibi: *Servi, & filii nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur: usque enim, qui potest in furem statuere, necesse habet, adversus furem litigare: idcirco nec alio ei d. veteribus prodita est.*

16 Pariter etsi uxor res mariti fraudulenter auferens, verum furtum committat, ob reverentiam tamen, & honorem Matrimonii turpis actio furti contra eam non datur, sed tantum actio rerum amotarum, l. Si quis. 52. ff. h. t. & l. Manifestissimi. 22. §. 4. C. eod. ubi ulterior ratio additur illis verbis: *Quia lex ita atrocem actionem dare in personam tibi sibi conjunctam erubuit.*

17 Notandum tamen, quòd etsi contra filium, & uxorem actio furti non datur; tamen illi, qui ope aut consilio ad horum furtum juvantur actione furti omnino teneantur, & pœnis furti subjacent, prout circa furtum filiorum expressè statutum habetur cit. §. 12. Instit. de Obligat. ex delicto, ibi: *Si vero ope & consilio alterius furtum factum fuerit, qui utique furtum committit, convenienter illi furti tenetur, quia verum est, ope & consilio ejus furtum factum fuisse. De juvantibus autem furtum uxoris, cit. l. Si quis. 52. princ. ff. h. t. ibi: *Si quis uxori res marito subtrahenti, ope, consiliove accommodaverit, furti tenebitur: sed etsi furtum cum ea fecit, tenebitur furti, cum ipsa non teneatur.**

18 Resp. VII. Qui rem alienam alicubi jacentem inveniens accipit animo retinendi, & Domino comparenti non restituendi, verè furtum facit, & actione furti tenetur, textu expresso, l. falsus. 43. §. 4. ff. h. t. ibi: *Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scivit, cujus sit, sive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd, cujus sit, ignoret. Si verò hujusmodi rem quis accipit, non lucri faciendi causa, seu, quòd idem est, non ut fraudulenter retineat, sed ut ei, cujus est, reddat, à furto immunis est, cit. l. falsus. 43. §. 7. ff. h. t. ibi: *Si tulit, ut non lucraretur, sed redditurus ei, cujus fuit, non tenetur furti.**

19 Porro, si quis rem jacentem invenit ignorans, cujus sit, tenetur de Rei Domino debet, & sufficienter indagare, v. g. per promulgationem ex Cathedrali, vel per Praeconem, vel schedulam publico loco affixam; juxta qualitatem, & æstimationem rei inventæ; quam indagacionem qui omittit, & rem retinet, Furti tenetur, uti bene docent Doctores statim citandi, arg. l. falsus. 43. §. 4. & 7. ff. h. t. quia animo retinendi fraudulenter eam accepisse censetur.

20 Si verò postquam dictam vel similem indagacionem Domini sufficienter fecit paratus restituere, ubi eum reciverit, nulla amplius spes de Domino comparituro apparet, eam distrahere, vel consumere licet potest, prout cum communi aliorum satis probabiliter docet Castro Palao Tract. 31. disp. un. nu. 4. & seqq. Sav. Theaurus. n. 4. Zoefius h. t. n. 13. Petrus Navarra lib. 4. cap. 2. n. 59. contra D. Thomam 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. Covarruviam Regula peccatum, p. 3. §. 1. n. 2. Navar. Manual. cap. 17. n. 171. Molinam de l. & l. Tract. 2. Disp. 476. & alios volentes, inventores rerum, si post diligentem indagacionem spes non apparet, Dominum compariturum, teneri res hu-

jusnodi inventas pauperibus, vel ad causas pias erogare; cum hæc credatur voluntas Domini.

Ratio autem nostræ doctrinæ est: Tum quia, si post debitam indagacionem spes comparituri Domini non amplius apparet, res Dominum non amplius habere sed derelicta, naturalemque libertatem nacta censetur, cujusmodi res derelictas, sicuti & quæ pro derelictis bonâ fide existimantur, si quis accipit, & retinet ab omni furto non tantum alienus est, l. falsus. 43. §. 7. ff. h. t. sed etiam si bonâ fide distrahatur, vel absumit à restitutione immunis erit, ut bene observat Castro Palao loc. cit. n. 7. eò quòd tales res derelictæ primò occupantis fiant. l. 1. & 2. ff. de Derelicto. Tum quia nullo Jure naturali aut positivo probari potest, res ita inventas erogari debere pauperibus, si post diligentem inquisitionem Domini comparituri spes non amplius apparet.

Nec enim in contrarium probant, quos Adversarii obijciunt can. Si quis. 6. cau. 14. q. 5. ubi dicitur: *Si quis invenisti, & non reddidisti, rapuisti, & can. Multi. 8. ead. cau. & q. ibi: *Muli sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt, Deus mihi dedit; cui debeo reddere; discam ergo peccatum hoc esse simile rapine, si quis inventa non reddat. Respondetur enim, hos Canones loqui de illis, qui vel de Dominis indagare nolunt, vel si eos sciunt, res inventas illis non restituant, minime verò de illis, qui cognito Domino rem suam restituere parati de illo indagant, & sufficienter indagacione factâ, bonâ fide existimant, eum non amplius compariturum.**

Quantum autem tempus requiratur, & quamdiu Inventor notitiam Domini expectare debeat, item quanta diligentia indagandi requiratur, certa Regula tradî non potest, sed arbitrio prudentis juxta circumstantias judicandum est. Castro Palao loc. cit. nu. 5.

Resp. VIII. Quamvis in extrema necessitate constitutus rem alienam ad sublevandam dictam necessitatem absque culpa & pœna furti subripere quis possit, furti tamen reus est, qui ob gravem necessitatem id facit. Prima pars de necessitate extrema, communis est & certa. Ratio est; quia extrema necessitas rem alienam facit communem, arg. l. Si laborante. 2. §. 2. in fine. ff. ad l. Rhod. de Jactu. c. Exiit. §. Nec quidquam. de V. S. in 6. ibi: *Nec Jure potest in extrema necessitate articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur; cum lege extrema necessitas sit exempta.*

Dummodò Dominus rei non fit in pari necessitate; quia tunc propter æqualem necessitatem, & propter possessionem duplici, majorique Jure ad illum, quam ad alium res talis pertinet, cum in pari conditione sit conditio possidentis, c. in pari. de Reg. Jur. in 6. prout amplius Theologi.

Altera pars, quamvis olim multos, eosque Claficos adversarios habuerit, qui docere etiam in gravi necessitate absque culpa & pœna furti posse quem subripere, imò & rapere rem alienam; tamen hodie etiam caret controversiâ ob contrariam Propositionem ab Innocentio XI. damnatam in sequentibus terminis: *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. De qua materia vide amplius apud Theologos.*

Resp. IX. Erit in Foro externo confessum non fit, ut Debitor à Creditore clam auferat rem sibi debitam, saltem quando solutio aliâ ratione, v. g. Judicis autoritate haberi potest, l. Exat, 13. ff. quod metris causa, cum prohibitum sit, ut quis in propria causa sua suus Judex sit l. un. C. Ne quis in sua causa.

Tamen in Foro interno ab omni furto immunis est,

est, qui rem sibi certè debitam clam auferat, saltem si eam alio modo sine magno incommodo habere non potest. Sylvester ff. furium. q. 13. Molina de l. & l. Disj. 601. nu. 1. Ratio est; quia talis rem non auferat animo lucrandi, aut furandi, sed le indemnem reddendi, & quod sibi debetur, acquirendi.

§. I. I.

De Pœnis Furti, & Restitutione Furto ablatorum: Nec non de Remediis illa iterum recuperandi: ubi etiam de nonnullis Furtis in specie, & pœnis eorum.

S U M M A R I U M.

29 Pœna Furti manifesti, & non manifesti in ordine ad solvendum quæ?

30 Domino, & cujus interest, competit Actio Furti.

31 Datur etiam contra Furem impuberem, non item contra hæredes illius, nisi prius cum Fure jam furis contestatus;

Datur contra eos, qui consilio, vel auxilio Furtum secundarunt: non item contra Furtum uxoris, aut filii familias.

32 Furtum manifestum, & non manifestum quid?

33 Præter actionem Furti (vi cujus Fur duplum, vel quadruplum solvere debet) competit insuper Domino vindictio rei contra quemvis possessorem, qui rem ablatam restituere debet, etiam pretio sibi non resolo.

34 Item Conditio furtiva: in qua consistat? cui? & contra quem competit?

35 Inter Criminales pœnas Furti, est etiam infamia.

36 Jure antiquo diverse fuisse pœna Furti pro diversitate circumstantiarum: Nunquam tamen pœna mortis, aut mutilationis.

37 Bene verò de Jure novo, præsertim Caroli V. & Friderici I. Et quando?

38 Furtum simplex, & non simplex: Furtum magnum & parvum quid? & quæ pœna eorum, præmi vice.

39 Furti secundum, seu secundæ vice commissi pœna quæ?

40 Furti etiam parvi tertii vice commissi pœna est Mors.

41 Furtum violentum quid? & quæ pœna illius?

42 Utrum possit quis ob Furtum præmi vice commissum ad mortem condemnari, pro & contra disputant Doctores.

43 Affirmativa Juri novo videtur conformior.

44 Res furtivæ inventæ apud furem à Judice apprehensum non Fisco, nec Judici, nec Officialibus ejus, sed Domino restitui debent, non obstante consuetudine, aut statuto contrariis.

45 Solvitur objelio.

Judex tenetur ex Officio Malefcores inquirere, & punire: ibid.

46 De Jure Divino, & Canonico Fur tenetur ad restitutionem; & qualem?

47 Ad quam faciendam potest Episcopus, non item alius furem compellere, & scienses rem furtivam, ut revelent.

48 Nonnulli autem à revelando excusantur, & qui?

49 Fures sunt etiam infames.

50 Et irregulariter.

51 Si juncti notarii.

52 Princeps secularis potest abolere infamiam furis, non item irregularitatem.

53 Clerici Furtis præter infamiam, & irregularitatem est Depositio.

54 Sacrilegium prout est species furti, quid? Beiffenhuell Jus Can. Tom. IV.

55 Pœna Sacrilegii, quando cum violentia vel effractione, 281

56 Et quando cum effractione committitur.

57 Crimen Plagii quid?

58 Et quæ pœna illius?

59 Abigeatus, & Abigeus qui?

60 Et quæ pœna illius?

61 Crimen Peculatis quid?

62 Et quæ pœna illius?

63 Quid sit Crimen de Residuis?

64 Et quæ pœna illius?

65 Quid Crimen expulzæ Hæreditatis? & quæ pœna illius?

66 Quid Sepulchri violatio?

67 Et quæ pœna illius?

68 Amotio termini quid? & quæ pœna illius?

Queritur I. Quæ sint pœnæ furti de Jure communi Caesareo constitutz? Resp. I. Prima pœna Furti est, ut res furto manifeste ablata rite instituenti Actionem furti restitatur, seu solvatur quadruplum; furto autem non manifeste ablata, solvatur duplex, textu expresso §. 18. Instit. de Act. & §. Panam. §. Instit. de Obligat. ex delicto, ibi: *Pœna manifesti furti quadrupli est, non manifesti dupli.*

Ad quem finem datur Actio furti, quæ tamen mere pœnalis est, §. fin. Instit. de Obligat. ex delicto, quæ actio competit Domino, & cujus interest, furtum non esse factum, l. Cujus interest. 10. ff. h. t. ibi: *Cujus interest non subripri, is actionem furti habet, & l. Tum. 11. ff. eod. ibi: *Is cujus interest, furti habet actionem: si honesta causa interest. Censetur autem illius dantaxat interesse, qui ob rem, quæ culpa illius perit, à Domino conveniri potest, vel ad restitutionem, vel ad æstimationem, §. Eum qui. 14. §. 9. & l. Interdum. 49 ff. h. t.**

Datur autem hæc Actio contra Furem, etsi rem jam perierit, l. Inter omnes. 46. princ. ff. h. t. ibi: *Inter omnes constat, etiam extincta sit res furtiva, attamen furti remanere actionem contra furem: Etiam impuberem doli capacem, l. impuberem. 23. ff. h. t. non tamen contra hæredes furis, nisi forte lis cum defuncto prius jam fuerit contestata, l. 1. ff. De privatis delict. §. 1. Instit. de perpet. & tempor. action. junctâ l. Pœnalia. 16. 4. ff. de Reg. Jur. ibi: *Pœnalia judicium semel incepta etiam in hæredes transmitti possunt. Datur impuper contra eos, qui ad Furtum dederunt consilium & auxilium, aut rem furtivam receperunt, per dicta n. 17. & l. Eos qui. 14. ff. h. t. Non item contra filium familias, uxorem, vel servum per dicta supra n. 15.**

Erit autem Furtum manifestum, quando Fur à Domino, vel ab alio in ipso actu Furti, aut post commissum Furtum cum re furtiva deprehenditur in loco Furti, vel antequam cum re furtiva ed pervenerit, quòd eam deferret, & cum ea, illâ die permanere destinavit. Non manifestum autem est, si Fur ita non deprehenditur, §. 3. Instit. de Obligat. ex delicto. l. Fur. est. 1. quo destinaverit. 4. l. Sive igitur. 5. ff. h. t. Cur autem Furtum manifestum gravius puniatur, quam non manifestum, inter alias rationes, quas refert Schneidewin in §. fin. Instit. eod. n. 2. & 3. n. 4. Harprecht in §. Panam. Instit. eod. n. 2. & 3. est, quòd Furtum manifestum præter læsionem proximi præbeat etiam scandalum publicè perniciosum, majoremque impudentiam præ se ferre, nec omni suspicione violentiæ carere censetur; conseqüenter majori pœnâ dignum, con. Nemo. 4. §. Tolerabilior. cau. 32. 2. 4. & c. Ex tenore, 4. de Tempor. Ordinat.

Resp. II. Præter pœnalem actionem Furti, quâ non ipsa res ablata, sed quadruplum, vel duplum ipsius petitur, dantur adhuc aliæ duæ actiones & remedia prolecutoria, rei vindictio videlicet, & Condi-

dictio furtiva. *Vindicatio rei furto ablata*, est actio realis competens Domino non tantum contra *Furum*, sed etiam contra quemcumque possessorem talis rei furtivæ, §. 1. *Instit. de action. §. fin. Instit. de Obligat. ex delicti*. ibi: *Rei vindicatio adversus possessorem est, si fur ipse possidet, si alius quilibet, si bonæ, si v. malæ fidei, iusto vel injusto titulo rem furtivam possideat, l. In civilem. 2. & l. Civile. 5. C. h. t. Tenetur etiam talis possessor rem furtivam Domino restituere, etiam si hic illi pretium pro re furtiva expensum non refundat, cit. l. In civilem. 2. C. h. t. ibi: In civilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum à Domino. Datur etiam post actionem Furti, & jam acceptum quadruplum à Fure, l. Si pignore. 54. §. 3. ff. h. t. ibi: Post solutam dupli, aut quadrupli penam, salva est vindicatio, & Conditio.*

34 *Conditio furtiva* est actio personalis, quæ rei Furto ablata restituitur, si extat, vel non amplius extet ejus æstimatio, omneque interesse petitur, l. Si condicatur. 3. & l. In re furtiva. 8. ff. de Condit. furtiva. Competit autem soli Domino. l. 1. ff. eod. ibi: In furtiva re soli Domino Conditio competit, l. Eum qui 14. §. 16. ff. h. t. contra furem, etsi sunt plures, contra omnes in solidum, ita tamen, ut si unus plene satisfecit, cæteri sint liberi, l. 1. C. de Condit. furti. Datur insuper non tantum contra *Furem*, sed etiam contra quoscunque hæredes illius, non solum ob id, quod de re furtiva ad illos pervenit, sed etiam in solidum, quamvis nil ad eos pervenerit; quod est singulare in odium *furum*, ne facile fures habeant hæredes, §. fin. *Instit. de Obligat. ex delicti*. ibi: *Conditio autem adversus furem ipsum, hæredemve ejus, licet non possideat, competit l. Ex re furtiva. 5. l. Si pro fure. 7. §. 2. l. in condicione. 9. ff. de Condit. furtiva*: Adeo quidem, ut si fur ultimo supplicio sit affectus, hæres nihilo minus ad restitutionem rerum furto ablatarum, vel æstimationem illarum Actione hæc Conditiois conveniri possit *Constitut. Criminal. Caroli V. art. 51. 207. & 213.*

35 Resp. III. Pœnæ Criminales furti præter solutionem quadrupli, vel dupli supra nu. 29. allegatam sunt, quod imprimis notabilis furti condemnatus, sit infamis, §. 2. *Instit. de Pœna temerè litigant. & l. Athletas. 4. §. fin. ff. de His qui infamiat notantur.*

36 Dein si Criminaliter agitur contra fores, vi Juris antiqui puniuntur pro diversitate delicti, personarum, & aliarum qualitatum vel pœna pecuniaria fisco applicanda, vel carceris, vel relegationis, vel damnatione ad Metalla, vel alia corporalia, l. fin. ff. h. t. l. 1. & seqq. ff. de fur. balnear. l. 1. & seqq. de Effract. & Exsil. ita tamen, ut pœna mortis, aut mutilationis ob simplex furtum aliquem puniri fuerit prohibitum, *Auth. sed novo. C. de servis fugitivis*, ibi: *sed pro furto non, nec aliquid membrum abscindatur, sed aliter castigabitur, & Novell. 134. cap. 13. §. Pro furto*, ibi: *Pro furto autem nolumus omnino, quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari. Fures autem vocamus, qui occultè, & sine armis hujusmodi delinquant; eos vero, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari, pœnis eos legibus subijci mandamus.*

37 Jure autem novo Cæsareo Friderici I. & Caroli V. præter antiquam pœnam quadrupli, vel dupli Domino solvendi: vigore Actionis furti per dicta supra nu. 29. ob furta in damnnum Republicæ: invalenscentia graviore pœnæ etiam mortis, ac mutilationis fure statuat, & ferè ubique, præsertim Carolinæ, usu receptæ. Sic enim laudatus Fridericus I. *Lib. II. Feud. cap. 27. fin. statuit: Si quis quinque*

solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur, si minus forte, & scopis excorietur, & tunc datur; ubi per solidum aureus: seu ducatus intelligitur juxta jam dicta Lib. III. Tit. XXIV. n. 15.

Dein Carolus V. de Pœnis Furti ita statuit, ut 38 videlicet *Furtum primum*, seu prin à vice commissum, si sit parvum (id est quinque solidos non attingens) & simplex (id est tale, quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistit) & non manifestum puniatur pœnâ dupli, si Fur est solvendo; si non, pœna carceris, debetque rem ablatam restituere cum Urpheda, art. 157. Si verò hujusmodi primum simplex, & parvum Furtum sit manifestum, & Fur honestæ conditionis existat, speque emendationis appareat, punitur pœnâ quadrupli, si est solvendo, si scilicet, pœnâ carceris corporalis: Si verò Fur vilis conditionis est, ad namellas virgis damnatur, & relegatur, ita tamen tam hic, quam honestæ conditionis Fur extensum prius restituit rem ablatam, vel æstimationem ejus. art. 158. Si autem Furtum primum simplex & magnum est (id est quinque solidos adæquans, vel excedens) arbitrio Judicis puniendum relinquitur. art. 160.

Furtum secundum, seu secundâ vice perpetratum, 39 si utriusque valor quinque solidos non adæquans, hanc pœnam secum trahit, videlicet, positionem pro numellis, relegationem, & confinementem: Si verò dictos quinque solidos excedat, pœna Judicis arbitrio imponitur. art. 161.

Tertium, seu tertîâ vice commissum Furtum, etiam 40 simplex nullâ attentâ quantitate & valore rei ablatae pœnam Capitalem habet, ita ut mas laqueo, femina autem suffocatione aque, vel aliâ simili mortis pœnâ, gladii v. g. periturus, art. 162.

Furtum violentum verò (id est, quod cum ædium 41 extractioe, vel cum telo & armis fit, quod etiam Furtum periculosum vocatur) pœnâ Capitali, vel si circumstantiæ aliud suadeant, non Capitali puniuntur. art. 159.

Cæterum controversitur inter Doctores, num vi- 42 gore allegatorum Jurum novorum possit Fur propter unum simplex Furtum magnum, pœnâ Mortis affici? Covarruvias siquidem lib. 2. *Var. resol. cap. 9. n. 7. Menochius de Arbitr. Judic. casu 295. n. 9. affirmativam tenent ob Constitutionem Friderici I. supra allegatam. Clarus verò §. Furtum n. 9. Farinacius Prax. Criminal. q. 167. n. 47. Fachin. lib. 9. Contr. cap. 91. & alii negativam tenent ex illa ratione, quod, ut ajunt, nullo Jure reperitur pœna Mortis pro primo Furto statuta, Judex autem non debet esse rigidior in puniendo quam Lex ipsa. l. Perficiendum. 11. ff. de Pœnis. Nec clare putant Constitutionem Friderici I. utpote quæ ipsorum opinione non loquitur de simplici Furto, sed de violento aut seducto, uti ex Rubrica colligitur, quæ sonat de Pace tuenda, & ejus Violatoribus.*

Verùm etiâ hujus posterioris doctrinæ Authores piè faciunt mihiorem eligendo sententiam; tamen spectando recentiora Jura, sententia Covarr. & Sequacium videtur prævalere tam ex Constitutione Friderici I. quam Carolinâ, ut pote quæ etiam pro uno simplici Furto magno pœnam arbitrio Judicis relinquit, & hoc ipso statuit, quod si Furtum tam magnum est, ut arbitrio Judicis pœnam mortis mereatur, eam imponere valeat: Sed de his amplius Criminalistæ. Incidentaliter tamen

44 Quæritur II. Num res furtivæ apud Furem à judice apprehensum inventæ Fidos, aut Judici, vel Officialibus, ac Ministris Justitiæ adjudicari, vel potius veris Dominis, à quibus fuerit ablatae, restitui debeant? Resp. Certum & indubitatum est, tales res fur.

furtivæ vero Domino, si de eo certo constat, restitui debere. Ita enim expressè declaravit Carolus V. in *Constitut. Criminal. art. 207. & Fridericus I. In Receptu. 1559. §. Und nachdem an etlichen* qui ambo etiam statuta & consuetudines contrarias tanquam veros abusus & corruptelas Juri divino & naturali contrarias reprobarunt: Uique enim iniquum & Juri naturali contrarium est, quod quis cum jactura, & damno alterius locupletetur, & Dominus sine factio illius in alium transferatur. *L. Nam hoc. 14. ff. de Conditio. indebiti*, ibi: *Nam hoc naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletorem, jnncto c. locupletiores. 48. de Reg. Jur. in 6. Prout etiam omnino iniquum, & rationi naturali adversum est, ex factio unius alterum prægravari, & delictum unius in alterius præficiem trahi, l. 1. ff. de Alienat. Judic. mut. cau. ibi: Omnibus modis Proconsul. id agat, ne cuius deterior causa fiat ex factio alterius. l. factum. 155. ff. de Regalis Jur. ibi: factum cuique suum, non adversario nocere debet, cum peccata, & pro his debita pœnæ suos tantum Aucthores & delinquentes tenere debeat, l. Crimen. 26. ff. de Pœnis, & l. Sanctimus. 22. C. eod.*

45 Nec quidquam in contrarium valet, quod iniqui, & avari, vidam sub palliato prætextu opponant Judices, videlicet, capturam, custodiam, & rationem, alimentacionem & executionem juris magnas requirere expensas; simulque labores Judicis & officialium mereri aliquam mercedem; coniequer res furtivas apud furem apprehensum inventas, in restitutionem dictarum expensarum Fisco, vel pro mercede laboris Officialibus justitiæ merito applicari. Nam contra est, quod his non obstantibus res furtivas Domino sine diminutione restitui debeant, expressè statuerit Carolus V. cit. *Constitut. Criminal. Et merito*, quia Præfidi, & cuivis Judicis, ac Magistratus ex Officio incumbit & congruit, ut a peccatis, & malis hominibus Provinciam purget, indeque Sacriligos, latrones, plagarios, fures conquirere debet. & prout quisque deliquerit in eum animadvertere, l. Congruit. 13. ff. de Officio Præfidi. Quæ autem Judicis & Magistratus ex Officio incumbunt, hoc absque alterius privati damno, aut præjudicio præstare debet, arg. l. Ut purè. 2. §. 2. ff. de Conditio. ob turp. causam. B. Rich. Pract. p. 6. *Concl. 54. n. 32. præsertim cum Officialibus ob hæc aliquid: jam sufficienti sum censetur habere aliam.*

46 Quæritur III. Quæ sint pœnæ contra furem Jure Canonico statutz? Resp. I. Sicut Jure Divino, sic etiam humano Ecclesiastico fures tenentur ad restitutionem furto ablatorum, c. Peccatum. 4. de Reg. Jur. in 6. ibi: *Peccatum non dimittitur, nisi restitutum ablatum*: ita tamen, ut ante sententiam Judicis plus resti uere non teneantur, quam quod abstulerunt, bene verò post illam, cum teneantur parere justæ Judicis sententiæ eos ad solutionem dupli, vel quadrupli, & interesse damnantis: uti alibi dictum.

47 Cæterum, ut res furtivæ Domino suo restituantur, potest Episcopus, non item Prelatus illo inferior, in subo minus Potestas secularis, contra iniquum detentorem sicut etiam eum, qui rem furtivam ab alio detentam scit, & non revelat, edere Decretum generale, in eoque debitis monitionibus præmissis statuere, ut qui intra certum terminum rem furtivam magni momenti non restituit, vel eam sciens non revelat, ipso facto sit excommunicatus. *Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reformatione. c. 3. ibi: Excommunicatione illa, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, aut subtrahitis rebus fieri solent à nomine profusus præterquam ab Episcopo decernatur, & tunc non aliâ, quam ex re non vulgari,*

causaque diligenter, & magnâ maturitate per Episcopum examinata: quæ ejus animam moveat: nec ad eas concedendas cujusvis secularis etiam magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio, & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, personâ, aut tempore, eas decernendas esse judicaverit.

48 Circa quod tamen Decretum rectè observat Engel de Sentent. Excommunicat. nu. 24. quod vilius ad revelandum, vel denunciandum non obligentur illi, qui id absque suâ, vel suorum, (contra quos testimonium dicere non coguntur de quibus *Lib. III. Tit. XX. de Testibus*) infamiat, aut gravi præjudicio facere non possunt; nec illi, qui rem certo non sciunt, & saltem per unum testem probare nequeant: De qua materia amplius vide apud Barbosa de Officio & potestat. Episcop. Allegat. 96. Engel loc. cit. à n. 22.

49 Resp. II. Non tantum de Jure Civili juxta dicta, sed etiam Canonico Fur notorius sive Laicus, sive Clericus est infamis, præsertim postquam furti condemnatus est. *can. Infames. 17. can. 6. q. 1. ibi: Similiter Fures*: Accedit, quod omnes, qui secundum leges Civiles sunt infames, tales etiam sint secundum Canones, *can. Euphemium. 7. §. Hinc colligitur. cau. 2. q. 3.*

50 Colligitur, quod fur notorius, aut furti condemnatus sit etiam irregularis, consequenter ad sacros Ordines promoveri, vel in jam susceptis ministrare non valeat. *Navarrus Manual. cap. 17. n. 204. Abbas in c. fin. h. t. n. 3. & 14. Suarez de Censuris disp. 43. sect. 2. n. 2. Pithing. h. t. n. 27. arg. can. Qui in aliquo. 5. dist. 51.*

51 Dicitur tamen notanter in Conclusionè: *fur notorius, aut furti condemnatus*; quia furtum occultum infamiam Juris non inducit, & per consensum nec irregularitatem, ut proin furem occultum Episcopus ad Ordinem susceptionem, & administrationem eorum admittere valeat, etsi crimen Furis ultro fateatur, dummodò cœnteat, & restituitur per textum c. fin. h. t. & ibi DD. communiter.

52 Cæterum licet Princeps secularis à fure aufferre valeat maculam infamiz, aufferre tamen nequit irregularitatem, nec ipso facto hæc cessat per abolitionem infamiz à Principe seculari factam, sed necessaria est dispensatio Papæ, arg. c. Cum te. 23. de Sentent. Excommun. Ratio est; quia Princeps secularis pœnas spirituales tollere nequit. *Per vulgaria.*

53 Resp. III. Præter pœnam infamiz, & irregularitatis, Clericus fur notorius ab Officio & Ordine Clericali deponi debet, *can. Presbyter. 12. dist. 81. & c. Cum non ab homine. 10. de Judiciis*, & ibi Doctores communiter. Qui si non respiscat etiam excommunicari, & si incorrigibilis evadat, Curie seculari tradi debet, *textu expresso cit. cap. Cum non homine, 10. de Judiciis.*

54 Quæritur IV. Quid sit, & quas pœnas secum trahat Crimen Sacriligii? Resp. I. *Sacriligium*, prout sumitur pro specie furti, est furtum, quo res sacra è loco sive sacro, sive profano, vel res profana è loco sacro injustè auferuntur. Ita in re Communis. *arg. can. Quisquis. 21. cau. 17. q. 4. ibi: Sacriligium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Et quamvis olim de Jure Civili nec verum Sacriligium nec ordinariis illius pœnis subiectum fuerit Furtum rei sacre è loco profano, vel rei profanz è loco sacro, sed debuerit esse rei sacre, & loco sacro, l. Severus. 5. & l. Sacriligi. 9. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Peculat. tamen hodie etiam in Foro Civili vi Constitutionis Criminalis Caroli V. art. 171. Sacriligium accipitur juxta sensum Canonicum.

55 Resp. II. Poena Criminis *Sacrilégia* alia est, quando cum alia sine violentia committitur, si cum violentia & effractione loci sacri committitur veram *Violatorem* Ecclesiae constituit, & poenam illius secum trahit, de qua vide supra Tit. XVII. à n. 42.

56 Resp. III. Si absque effractione committitur, de Jure Canonico poenam Excommunicationis, non quidem ipso facto, sed ferendam incurrit, à qua tamen *Sacrilégus* absolvi nequit, donec plenè satisfaciatur, arg. c. *fin. h. t. & c. Conquestus*. 16. de foro competent. ibi: *Cum autem valde sit iniquum, ut ea, quae collata sunt, pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis, vel relictis, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod meritò invasores ipsarum rerum tanquam Sacrilégi sunt Anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi.*

57 De Jure Civili autem poena *Sacrilégia* est, quam supra tit. XVII n. 44 & 45. allegavimus: præterquam, quòd cunctis etiam poenis *furti h. t.* enumeratis subjaceat.

58 Queritur V. Quid sit, & quibus poenis subjaceat *Plagium*? Resp. I. *Plagium* est Crimen publicum, quo quis dolosè surripit hominem sui Juris existentem, vel servum alienum, sive detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo dominium rerum transfertur, aliis tradat, L. 1. & seqq. ff. ad Leg. *Fabiam* de *Plagiariis*. Quòd Crimen, si homo sui Juris subripitur, non est propriè *furtum*, quia libera persona sub nullius dominio, §. *Item Juris Insti. de Insti. Sripulat.* Si verò proles sub patria potestate constituta ita subripitur, verum *furtum* est, §. *Ineridum*. *Insti. de Obligat. qua ex delictis*. Indeque patri actio *furti* competit, l. *Eam qui*. 14. §. *si filius Familias* ff. h. t. Non item Matri utpote potestate in prolem carenti, l. *Mater*. 38. ff. *ead.*

59 Resp. II. Poena *Plagii* olim erat poena pecuniaria l. *fin. ff. ad Leg. Fabiam*, de *Plagiariis*. Hodierno autem Jure est poena mortis, c. 1. h. t. ibi: *Qui furatur hominem & vendiderit, morte moriatur*. junctà l. *Quoniam*. 7. & l. *fin. c. ad Leg. Fabiam* de *Plagiariis*. quæ tamen interdum in mitiorem, puta poenam metalli, & exili mutatur cit. l. *fin. ff. eod.* & §. *Est & 10.* ibi, *Est & inter publica judicia ex lege Flavia de Plagiariis, quæ interdum capitis poenam ex sacris Constitutionibus irrogat, interdum autem mitiorem.*

Queritur VI. Quid, & quibus poenis subjectam sit *Abigeatus*? Resp. I. Crimen *Abigeatus* est quædam species *furti*, vel quasi *furti*, quòd committunt *Abigei*, id est illi, qui pecora ex pascuis, vel armentis subrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent equos de gregibus, vel oves de armentis abducentes. Ita in terminis habetur l. 1. ff. de *Abigeis*. Porro licet abductio unius equi aut bovis *Abigeatum* constituat, tamen *Abigeus* non est, sed simplex *Fur*, qui de grege ovium minus quàm decem, & de grege porcorum minus quàm quinque abducit, textu expresso. l. *fin. ff. h. t.*

60 Resp. II. Poena *Abigeatus* de Jure communi variat est, pro varietate circumstantiarum delicti, & personæ, ita ut subinde ad gladium, subinde ad metallum, subinde ad bestias damnentur, subinde relegentur l. 1. & 2. ff. de *Abigeis*, hodiernâ tamen consuetudine puniuntur ut *Fures*, prout ad dictas Leges magis declarant Doctores.

61 Queritur VII. Quid sit, & quas poenas secum trahat *Peculatus*? Resp. I. *Peculatus* est species *furti*, quo pecunia, seu ad ærarium publicum, aut Fiscum Principis pertinens, vel pecunia sacra, aut Religiosa subripitur ab eo, cujus fidei non est commissâ, E. c. l. *Leg. 4. princ. & §. fin. l. Sacrilégi & Labco. ff. ad Leg. Juliam. Peculat. & §. 9. Insti. de Public. Judic.*

Resp. II. Poena *Peculatus* est vel pecuniaria, & quidem quadruplum l. *Sacrilégi poenam*. 6. in fine, & l. *Is qui*. 13. ff. *eod.* vel alia præsertim Deportatio, l. *Peculatus*. 3. ff. *eod.* vel etiam ultimum supplicium, si hujus Criminis rei sunt Judices, & Magistratus: quæ poenâ etiam afficiuntur, qui his ministerium ad Crimen exhibent, vel subtractas pecunias ab illis scienter accipiunt. §. *Item Lex Julia Peculatus*. 11. *Insti. de Public. Judic. & L. un. C. de Crimine Peculatus*. Hodie etiam poena *furti* puniuntur.

Queritur VIII. Quid sit, & quas poenas habeat Crimen de *Resistis*? Resp. I. Est delictum publicum, quo pecunia ad certum usum non erogatur, sed vel retinetur, vel in alium usum convertitur. L. 2. & l. *Leg. Julia*, 4. §. 3. ff. ad *L. g. Jul. Peculatus*.

Resp. II. Poena Criminis de *Resistis* est, quòd præter infamiam cunctis Criminibus publicis debitam. l. *Infamem*. 7. ff. de *public. Judic.* debeatur restituere amplius tertiam partem rei iniquè detentæ, vel non debite erogatæ, ita ut qui 90. florenos male erogavit, 120. florenos restituere debeat. l. *Leg. Julia*. 4. ff. ad *Leg. Jul. Peculatus*, ibi: *Qua lege damnatus amplius tertiam partem, quam debet, puniatur.*

Queritur IX. Quid sit Crimen *Expilate Hereditatis*? & quæ poena illius? Resp. I. Est Crimen, quo quis ante vel post aditam, sed nondum possessam hereditatem, rem hæreditariam mobilem surripit, quia talis censetur reus *Furti*, l. *His enim*. 70. ff. h. t. Poena illius est arbitraria pro diversitate circumstantiarum infligenda, L. 1. l. *Divus*. 3. ff. *Expilate hereditatis*.

Queritur X. Quid sit sepulchri violatio? & qualiter puniatur? Resp. I. Est Crimen, quo quis sepulchrum non tantum violat, sed etiam inde monumenta, vel alia auferit, vel cadavera effodit, & spoliat, l. *Si sepulchrum*. 2. & l. *Pretor ait*. 3. ff. de *Sepulchro violato*.

Resp. II. Poena hujus Criminis præter infamiam, l. 1. ff. *eod.* statuta est arbitraria, & subinde etiam Capitalis, præsertim, si corpora, vel ossa eruantur l. *Pretor ait*. 3. l. *fin. ff. eod.* ibi: *Rei sepulchrum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo supplicio afficiuntur, honestiores in Insulam deportantur: aliis autem relegantur, aut ad metallum, damnantur.*

Queritur XI. Quid sit, & quæ poenâ afficiatur *Amotio termini*? Resp. Est Crimen, quo quis terminos vel lapides finales *Granitesstein*, oder *Marchfaulen*, oder *Stöcker* dolosè eruit, auferit, aut mutat, vel ut præcisè noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, & suo adjiciat: cujus criminis poena est vel pecuniaria 50. aureorum l. *Leg. Agraria*. ff. *Termino amoto*. vel etiam relegatio, aut fustigatio illorum, qui occupandorum aliorum finium causâ id admisserint, l. *Divus Hadrianus*. ff. *eod.*

TITULUS XIX.

De Usuris.

1. Ratio Continuationis.

Usura vitium est affine rapinæ, & Furto: nam ut dicitur *can. Si quis*. cau. 14. q. 4. *si quis usuram accepit, rapinam fecit, vita non vivit*. Quòd tamen cum Glossa intellige de rapina largè acceptâ, & prout iunitur pro qualibet injustâ usurpatione, arg. *can. Alericenses*. cau. 32. *quest. 4.* Igitur

Igitur post Titulos de *Rapinosis*, & *Furtis*, rectè agitur de *usuris*: quæ materia cum propriè sit Canonica, & non nihil prolixior, rectè in quosdam Paragraphos dividitur.

§. I.

De Natura & Divisione Usuræ.

SUMMARIUM.

- 2 Usura variè accipitur.
- 3 Propriè accepta definitur.
- 4 Est lucrum vi solius mutui proveniens.
- 5 Ubi nomine *Lucri* intelligitur omne, quidquid est pretio æstimabile etiam obsequia, obligationes, remissiones harum &c.
- 6 Usura alia est mentalis, alia realis:
- 7 Realis alia expressa, alia palliata.
- 8 Usuræ alia sunt centesimæ, alia besiales, alia semisse, quintances, quadrantes, trientes: Et num. seq.
- 10 Alia simplices, alia usuræ usurarum.
- 11 Alia compensatorie, seu restauratorie, alia punitorie, seu moratorie, alia lucrative.
- 12 De compensatoriis, & punitoriis, Remissive.

Usura juxta nominis Etymologiam dicitur ab *usu*, sicut *cultura à cultu*; ideoque in genere significat aliquid rei. Sic homo dicitur accepisse usuram præsentis vite &c. Dein accipitur *usura* pro commodo, seu fructu ex utroque proveniente, prout Cicero Libro de Senectute ait: *Terra nunquam sine usura reddit, quòd accipit*. Tertio, & magis ad propositum *usura* sumitur vel pro lucro ex mutuo, indeque *lucrativa usura* vocatur, & alio nomine etiam *Fenus* dicitur, vel pro ipsamet conventionem seu contractum *usurario*, & sic loquendo de *usura* propriè dicta, seu *lucratione*.

- 3 Queritur I. Quid sit *usura*? Resp. cum Communi, dicendo: *usura est lucrum immediatè ex mutuo proveniens*, dum videlicet Creditor ultra sortem vi solius mutui alteri dati aliquid exigit, & quasi ex justitia debitum accipit, arg. *can. Plerique*. 3. & *can. fin. cau. 14. q. 3.* Vel accipiendo eam pro contractu; *usura* est mutuum cum pacto expresso vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ratione mutui.
- 4 Dicitur notanter, *ratione mutui*; sive ut alii loquuntur, *ex vi & causa mutui principaliter*. Quia mutuum est unica velut sedes *usuræ*, per textum in *can. 1. & seqq. cau. q. 3.* & Doctores communiter: sicut & textus S. Scripturæ n. 14. referendi, de solo mutuo loquuntur. Unde si quis lucrum acquirit ex locatione, conductione, liberalitate, seu gratitudine mutuatarii, *usura* non committitur.
- 5 Porro sub nomine *Lucri* intelligitur quodlibet temporale, seu pretio æstimabile, quòd ultra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex justitia debitum: sive deinde illud sit pecunia, sive frumentum, vel alia res pretio æstimabilis, ut pluribus dicitur, *can. si feneraveris*, & seqq. cau. 14. q. 3. ubi dicitur, *usuram esse, quidquid ultra sortem recipit, sive sit pecunia, sive triticum, sive merces, sive quodcumque aliud*. Et hoc communiter etiam extendunt Doctores ad obligationem Civilem quidpiam ex debito seu pacto sibi præstanti *ratione mutui* v. g. apud se emendi merces, sibi vendendi, aut operas suas locandi, vel ut *Mutuatarius* Creditori præstet obsequium aliunde indubitum. *Layman Lib. 3. Tr. 4. cap. 16. n. 2. Palao Tract. 32. Disp. 4. pun. 11. n. 2.* Ratio est; quia hujusmodi onera, & obligationes sunt, pretio æstimabilia, adeoque vi solius mu-

tui absque *usura* exigi non possunt.

Queritur II. Quotplex sit *usura*? Resp. Eam variè dividi, & primò quidem in *mentalem*, & *realem*. *Usura mentalis* est, quando quis eo animo ac intentione dat *mutuum*, ut acquirat lucrum ex mutuo tanquam ex justitia debitum in compensationem illius, quamvis nullo interveniente pacto expresso vel tacito de *Lucro*. Quare *usura mentalis* non sumitur hic pro sola voluntate committendi *usuram*, prout præcindit ab omni actu externo (tale enim propositum potius est, & dicitur *usura interna*, quam *usura mentalis*) sed accipitur pro actu externo, quo *mutuum* datur cum spe & intentione accipiendi *lucrum ex mutuo*, quamvis sine nullo pacto externo arg. c. *Consuluit*. h. t. atque in simili explicavimus supra Tit. III. n. 15. & 16. *Simoniam mentalem*. *Usura Realis* contra est, quando quis mutat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem *lucrum ex mutuo*. *Navarrus de usuris*. nu. 12. & Doctores communiter.

Deinde *usura realis* dividitur in *expressam*, & *tacitam*, seu *palliata*. *Expressa* seu *formalis* & manifesta *usura* est, quando expressè exigitur pretium pro mutuo v. g. mutuo tibi centum florenos, eo pacto, ut post annum reddas mihi centum, & tot vel tot ultra. *Usura palliata* seu *virtualis* est, quæ non committitur vi contractus *mutui* formalis & expressi, sed alterius contractus nomine ac specie veluti *pallio* occultati: ut si Mercator ob solam dilationem solutionis pretii (secus si id fieret ratione *lucri* cessantis vel damni emergentis &c.) merces multò carius venderet; nam hoc in re aliud non esset, quàm Emptori mutuum dare pecuniam, post aliquod tempus cum auctario recipiendam, quòd reprobatur c. *In Civitate*. de *usuris*.

Tertio, *Usuræ* dividi possunt pro diversè earum taxatione & moderatione. Hinc alie dicuntur *Centesimæ*, alie *Bessiales*, *Semisses*, *Quintances*, *Quadrantes*, *Trientes*, prout appellantur l. *Eos qui C de usuris*, & alibi. Cæterum quidnam sit *Usura Centesima*? juxta quam cæteræ suam fununt interpretationem, variant Doctores. Et quidem Vallensis h. t. §. 2. n. 4. notat, quòd quædam vetres solebant stipulari *usuras* in singulos menses: & quòd *Centesima usura* fuerit illa, quando pro centum quolibet anno solvabantur duo decim, ita ut singulis mensibusolverentur pro centum florenis singuli floreni. Unde quia *Bessiales Usuræ* sunt bes, seu octo uncie *Centesimæ Usuræ*; & *Usuræ Semisses* sunt pars dimidia; *Quintances*, quinque ejus uncie sive partes, & *quadrantes* quatuor, trientes, tres: mox patebit, quantum juxta hanc supputationem faciant, seu reddant dictæ *usuræ* per singulos annos: nam illæ reddunt octo pro centum, illæ verò sex, & quinque, quatuor, tria &c.

Econtra Hostiensis, & cum ea Fagnanus in c. *Noviganti*. h. t. n. 6. item *Gl. in l. eos qui C de usuris*. v. *Tertiam partem*, & alibi, atque in eundem Vocabularium Juris v. *Usuræ*, docent, quòd secundum Jus commune *Usura Centesima* sit ea, quæ infra annum æquiparatur forti. Quæ quidem interpretatio fundatur in l. *Nihil intersit*. ff. de *Fenore nautico*, ibi: *Ad finem non ultra duplum centesimæ debetur*. Ubi Glossa ait: *Duplum connumerat summâ fortis cum usuris in fine anni*. Unde juxta hanc supputationem etiam alie *usuræ*, de quibus sit mentio in Jure Civili, reddunt magnam quantitatem videlicet *Bessiales* pro centum sexaginta sex; *Semisses* quinquaginta, & sic loquendo de cæteris. Clarus loquitur Glossa in *Aurb. de Alienat. v. Centesima*, ibi: *Centesima dicitur, quæ anno fortis æquiparatur, quasi rotunda, ut centenarius numerus est rotundus*. Quarta *Centesimæ* ergo dicitur, quæ quatuor annis æquiparatur: & sic si benè computes, facit